



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1204. Usque Ad Annum 1230

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1763**

**VD18 90118030**

§. 44. Stephani Langtonii obitus. Electio impugnatur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66406](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66406)

multis ditionibus eis ereptis, privilegia quoque, eisdem a Sede Apostolica concessa, delere cupit, ut Jurisdictioni Imperatoris subdantur. Centum etiam Saracenos, Hospitalariorum & Templariorum mancipia, quæ in Sicilia & Apulia habebant, Saracenis restituit, nulla ad illatum damnum resarciendum refusa pecunia. Illud quoque notes, Fredericum, quamvis paucis succinctus copiis navem conscendisset, ingentem tamen Christianorum & Saracenorum exercitum in Patrimonium S. Petri effudisse. Quare Dilectioni tuæ præcipiendo mandamus; in terris legationis tuæ Fideles exhortare, ut ad defendendam Fidem & Religionem, tanquam pro focis domesticis pugnaturi, se se accingant.

## §. XLIV.

Stephani Langtonii obitus. Electio impugnatur.

In Anglia Stephanus Langtonius, Archiepiscopus Cantuariensis, mortem oppetiit, die nona Julii, anno millesimo ducentesimo vigesimo octavo, postquam hanc Ecclesiam annis viginti duobus rexisset. Non nullos posteris reliquit calamitatis sui partus, quorum præcipui sunt Commentarii in S. Scripturam, hucusque inediti, in Bibliothecis Angliæ con-

Math. Par.  
1228.  
Sup. lib.  
I. XXVI.  
§. 30.  
Cave Sæc.  
Schol. p. 488.

Ecc 4 serva-



Sæcul. XIII.  
A.C. 1228.

fervati. Ipso defuncto, Monachi Cantuarienses, impetrata a Rege licentia, ex gremio suo Magistrum Gualterium *de Hemesbam*, tertia die Augusti, elegerunt. Sed Rex, in conspectum suum a Monachis deductum, postquam diu deliberasset, rejecit. Objiciebatur Gualterio, quod ejus parens, furti convictus, in patibulo, laqueo suffocatus, vitam finiisset, & illo tempore, quo Anglia Interdicto Ecclesiastico subjacebat, a partibus hostium Joannis Regis stetit. Episcopi vero Provinciæ Cantuariensis præterea Gualterio exprobrabant, quod ei, ex consuetudine sacrilegi complexus cum femina Deo dicata, filii nati essent; & denique contendebant, nullius esse roboris illam electionem, cujus ipsi, læso jure suo, expertes fuissent. Gualterius electionem peractam omnibus viribus defendebat, &, interjecta ad S. Sedem Appellatione, delectisque quibusdam Monachis, viæ sociis, Summi Pontificis conspectum subire non dubitavit. At Papa, non ignarus, Episcopos ei, & Regem adversari, judicium causæ distulit, donec omnia adjuncta plene cognosceret. Rex autem, & Episcopi, ubi resciverunt, Gualterium Romam petiisse, omnia, quorum is accusabatur, conscripta, & annulis suis munita, per Episcopos Rosensem, & Cestriensem, addito socio



focio Doctore Joanne, Archidiacono Sæcul. XIII.  
Redfordiensi, qui Causidici munus obi- A C. 1228.  
ret, Papæ miserunt. Ille cunctis matu-  
re pensatis, & Cardinalibus ad consilium  
adhibitis, utrique Parti litiganti diem  
constituit, Feriam V. post Cineres, men-  
sis Martii primam, anno millesimo du-  
centesimo vigesimo nono, qua sententia  
decretoria proferretur.

## §. XLV.

*Archiepiscopus Armenus in Anglia.*

Eodem anno, millesimo ducentesimo vi-  
gesimo octavo, quidam ex Armenia *Math. Par. eod.*  
Archiepiscopus in Angliam appulit, Re-  
liquias Sanctorum, & Ecclesias visurus,  
peragratis jam ante aliis Regnis, literas  
commendatitias a Summo Pontifice ha-  
bens. Eum ad Monasterium S. Albani  
quoque, primi in Anglia Martyris, di-  
vertentem Abbas monachique, e quorum  
numero Mathæus Paris erat, Historiæ  
Scriptor notissimus, humanissime exce-  
perunt. Cumque hospes aliquamdiu  
apud eos commoraretur, ut ex itinere  
fatigatus refocillaretur, per interpretes  
suos varia de Religione & moribus An-  
glorum sciscitabatur, ipseque vicissim  
mirabilia de Provinciis Orientis narra-  
bat. Cuidam Monacho percontanti,  
an in ejus patria Conceptio S. Virginis  
celebraretur, *omnino*, respondit, *bujus-*  
E e e s que